









Adversus Iudaeos

et gentes

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA

FRANCISCA



69



5376
Q. D. B. V. 1673 2

DE HIS QUORUM
RATIO REDDI NON
POTEST

EX INDULGENTIA MAGNIFICI
JCTORUM ORDINIS

IN HAC ALMA LEUCORÆA

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi Amplissimi & Consultissimi
DN. FRANCISCI HENR. HÖLTICHS,
J.U. Doctoris & in Consistorio Ecclesiastico
Advocati Ordinarii,

Patroni & Promotoris sui Observandissimi,
Publicè periculum Legale f.
HERMANNUS DISMANN,
Molnâ Saxo.

Ad d. XII. April. M. DC. LXXIII.

In Auditorio Jctorum.

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS MEYERI.

52.

DE HIS QVORVM
RATIO REDDI NON
POTEST

EX INDUCENTIA MAGNIFICI
ACTORVM ORDINIS
IN HAC ALMA LITTERARVM

ADVOCATI ORDINIS
II. Doctoris & in Consistorio Ecclesiastico
N. FRANCISCI HENR. HOLTICHS
N. Nobilissimi Consistorii & Consistorii

Patroni & Promotoris sui Observantissimi
Publici periculum legale &
HERMANNUS DISMANN
Nobilis Saxo.

In Archivio Secretarii
ad d. XII. Julii. M. DC. LXXIII.

WITTEBERG
Typis MICHAELIS MEYERII





IN Divinis Literis præceptum habemus de redigendo in captivitatem Intellectu in obsequium Christi 2. Cor. 10. Scriptum enim est: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium repro- babo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi inquisitor hujus seculi? Nonne stultam fecit Deus sapien- tiam hujus mundi. Nam quia in DEI sapien- tia non cognovit mundus per sapientiam DEUM, placuit DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 1. Cor. 1. Sed in cæteris rebus ar- marvit DEUS hominem Ratione, per quam con- sequentia cernit, principia & causas rerum vi- det, earumq; progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq; presentibus adjungit atq; annectit futuras: fa- cile totius vitæ cursum videt, ad eamq; degen- dam præparat res necessarias. Lactant. d. o- pific. DEI c. II. Cicero lib. 1. Offic. cap. IV. Et hanc deinceps magis componunt in Civitate Leges, quar. beneficio Ratio in civibus magis excolitur ad commune bonum Aristot. 1. politic. Utpote cum

A

non

non omnes essent ita sapientissimi quibus quod opus sit ipsis veniat in mentem; ad quos tamen proximè accedunt, qui alterius benè inventis obtemperant. Cic. pro Cluent. Liv. Dec. III. lib. II. Unde statim cognoscimus, in LL. summam debere inesse rationem, cum jam regant eam, quæ omnibus in universum à Natura data est. Et de illà modò videre animus est: Et quod nulla omnino Legum Nostrar. sinè ratione est, quantumvis ea non semper reddi possit, secundum Julianum in l. 20. D. d. LL. Tu modò dirige mentem Et sensus nostros, qui factus es nobis sapientia à DEO Et justitia Et sanctificatio Et redemptio!

CAPUT I.

De Origine & Fundamento Legum in Ratione.

I.

Quicumq; de Legibus tradiderunt, pleriq; initium dicendi faciunt in illà Lege^l increatà Sanctissimi Numini, secundum quam disposuit terrarum orbem & quæcunq; tandem sunt in illo, multò ante quàm crearet ipsum et.

Ab

Ab antiquis ordinata sum sapientia, inquit, & ex antiquis antequam terra fieret Proverb. VIII. Juxta eandem Legem s. divinam (uti vocavit Plato) s. Æternam quam dicunt Nostri, principem ubiq; universum nunc quoq; mundum regit imperandi prohibendiq; Sapientia infinita. Boëthius rationem vocat in illo tritò;

O qui perpetuâ mundum ratione gubernas.

Adeoq; nihil est aut erit deinceps quod non in Lege æterna h.e. divinâ ratione, communicet, quatenus ab illâ tanquam universali omnium rerum regulâ ac mensurâ regitur & gubernatur; jam tùm ut vivat, crescat, & fructo sibi similes generet *Gen. I. II.* quæ est facultas animæ vegetativæ: sicut sensitiva præterea insignem vim tam movendi, quâ appetendi & cognoscendi tribuit. Et ita secundum hanc divini numinis impressionem & in Lege æternâ communicationem, res omnes innatam illam vim assumunt, quâ bonum semper aliquod suapte naturâ appetunt, atq; ad proprios fines diriguntur. Thomas in *1. secund. q. 91. art. 2.*

II. Hæc verò divini Numinis impressio & communicatio tametsi omnibus in rebus perspicitur, tamen in hominibus multò clariùs, quàm in aliis elucet dic. Alberto Bolognetto *d. Lege. c. III.* Cæteris enim & rebus & animantibus divinum hoc lumen eatenus tantum quatenus fert eorum natura, communicatur; Et ita quidem communicatur, ut ea tamen ab illius virtute & præstantiâ longissimè absint. Homines autem divini intellectus & rationis essentialiter ac verè rationaliter participes facti fuerunt, ut non modo recta honestaq; & cognoscant & appetant, sed arduis etiam in rebus maturè deliberare ac providere possint, vitæ rationem instituere, mores componere,

opnere, aliorum hominum coetus moderari; Quo fit ut cum ingeniorum acie divinæ sapientiæ quasi speciem ac simulacrum præ se ferant, tam mira in rebus gerendis solertia divinam providentiam imitentur, ac deniq; totius naturæ suæ nobilitate ad supremæ naturæ præstantiam proximè accedant. Idq; procul dubio ex eò proficiscitur, quod homines modò quodam longè nobiliori ac præstantiori divinæ providentiæ, quàm cœtera, subjiciuntur; ac propterea illustrius pleniusq; in ipsis, quàm in aliis sit divini luminis impressio & communicatio. Est verò hæc divini luminis communicatio in hominibus, quam nos *Legem naturalem* appellamus, quæ nobis quid rectum quidve bonum sit, singulis in rebus ostendit: Cujusq; ope cognoscimus cultum DEO exhibendum, patriæ ac majoribus parendum, fidem servandam, & id genus alia; quæ omnibus qui ratione præditi sunt cognita esse necesse est. In quo oppidò signatum est super nos *lumen vultus Tui Domine!* *add. l. II. & III. d. Just. & J.*

III. Post Legem Naturalem incedit oppidò *Lex Humana*, quæ illam magis exserit & vi Imperii inter cives corroborat, alioquin scelestorum hominum injuriis nimis patentem. Cum enim liberum sit humanæ voluntatis judiciū inter dissidentes atq; adeò decertantes animæ nostræ partes sensitivam & Rationalem; quarum hæc divina cogitat, ad recta & honesta, & ad cœlum ipsum perducit: dum illa glebæ adscripta est & in terram deprimit; de super extremam tegulam adscendit hominum malitia, qui non modò cum justis naturalis mensuram ignorabant, aut cum præcepta naturalia videbantur inter se dissidere: sed & cum justis & honestis facies maximè elucebat, ab eo tamen ipso per summum scelus recedebant, atq; omni se flagiti-
orum

orum genere inquinabant. Quotidianis enim furtis, caedibus, rapinis, communes utilitates impediabant, publicæq; tranquillitatis rationem omne conturbabant. Quare non tantum moëniis contra vim externam, sed etiam Legibus contra civium improbitatem civitates atq; oppida munire opus fuit. Bolognet de Lege c.7. f. 24. Polydor. Virgil. Lib. 1. d. invent. Rerum.

Et decantat Horatius Sat. 3.

*Oppida cœperunt munire, & condere Leges
Ne quis fur esset, neu latro, neu quis adulter,
Jura inventa metu injusti fateare necesse est,
Tempora si, fastosq; velis evolvere rerum.*

V. Sicut ergò Lex æterna in DEO disponit de necessitate administrationum hujus universi in Gloriam Creatoris: Et verò Lex Naturalis intra nos metipfos secundum divinæ illius rationis communicationem rationem facit, quæ quid rectum & honestum sit singulis ostendit, & illud ad semper adigit. Ita Lex Humana (quæ jam de utraq; participat) nihil aliud est, quàm dictamen rectæ rationis in Príncipe, dum communitatem aliquam perfectam s. Civitatem gubernat ad hanc rectè agendorum rationem, Thom. in 1. secunda q. 90. art. 4. & q. 91 art. 1. in quâ sic satis felix est & abundans ad superfluitatem hujus vitæ. Aristot. 1. Pol. II. Ultra quam deinceps humana Legislatio ferè nil delineabat, quod Naturalis ratio quam seqvebatur ipsa met humanæ naturæ conditionem (quæ mortalis est) non excedebat: dilapsis inter tot ac tantas humanarum rerum calamitates, & humani judicii imbecillitatem supremis illis cogitationibus, de vitâ illa futurâ in cœlis, ad quam tamen præcipuè creati & destinati sumus. Quapropter DEUS T. O. M. pro immensa suâ milericordiâ & dilectione, quâ nos complexus est ante exordia rerum, sin-

gularem præterea Legem promulgavit, primùm quid. Isra-
ëlitis deinde præstantiorem etiam in modum nobis Chri-
stianis, quæ jam interiora quoque cordis nostri sensa, dicta
& facta omnia clementis disponit in spem vitæ ejus quæ
post hanc erit sola vita numeranda, dic, ipsò Cicerone in
Catone M. *Divinam* vocamus *Legem*, & Mosaicam in eò
Christiana inferiorem, quod hæc non tantùm imperat,
sed etiam robur addit atque, invisibilem gratiam largitur,
quæ imperata perficere valeamus; quod nec Mosaicæ neque
alterius ullius legis munere unquam homines consequi
potuerunt, Albertus Bolognet. *de Lege c. III. f. 7.*

V. Habemus jam supremam Legis originem &
fundamentum omne in Lege æternâ quæ est ipsamet
mens divina; & ejus imaginem omnino effert homo,
dum his æqualiter quibus imperat (tùm intra tum extra se)
Leges præscribit, sed ex dictamine rectæ rationis, canente
Ausonio in Monosyllabis idyllio XVI.

Lex naturali quam condidit Imperio jus.

Jus genitum pietate hominum, Jus certa DEI mens.

Adeoque & Legem ratio commendat dic. Tertullianus
in lib. de Coronâ militis, unde sumptus est *c. V. dist. 1.* Porro
(ait) si Ratione lex constat lex erit omne jam, quod rati-
one constiterit duntaxat, quod religioni conveniat, quod
disciplinæ congruat, quod saluti proficiat. Cæterùm si
contra DEUM aut naturalem rationem lex humana quid
præcipiat, tum verò DEO magis est obediendum quam
hominibus *Act. IV.* quæ revelata DEI voluntas in nobis
immediatè ferit conscientiam. *Gvil Ames. lib I. de Consc,*
c. 2. § 8. Fernand. Vasquez. lib. I. Controvers. cap VII.

VI. Et sciverunt imò eandem hæc gentiles qui o-
mnes reverenter de Lege locuti sunt tanquam. de regina
divina.

divinarum humanarumq; rerum omnium. In primis illa
in quibus versamur perorat Demosthenes, quam sic defi-
nire facit Martianus in *L. II. d. Legib.* Lex est cui omnes
obtemperare convenit, tum ob alia multa, tum vel ma-
ximè eo, quod omnis Lex inventum ac *munus DEI est*
(in quod traho ficta veterum. Legislatores colloquia
cum Diis vid. Tomas. Garzoni, Piazza. *univers. di-
seurs. V. pr. f. 71.*) decretum verò (pergit) *prudentum ho-
minum*, &c. M. Tullius ita effert: Lex est vin-
culum civitatis, fundamentum libertatis, æquitatis
fons, mens, animus, consilium, sententia: ut corpora no-
stra sine mente, sic civitas sine Lege esse non potest. Con-
tinuat plura Demosthenes adversus Aristogitonem, quæ
recenit Angel. Mattheacius de via & *rat. Jur. lib. I. c. XXX.*
& unâ varias aliorum definitiones, quas congescit etiam
Anton. Augustinus *lib. d. LL. & Sctis C. III.* Ex quibus fa-
cilè intelligimus quàm arctum inter Legem naturalem hu-
manasq; sanctiones societatis quasi vinculum sit; Quod
quidem vinculum tantò arctius eò alligatur, quod natura
mutuum quodammodo humanis LL. præstat officium.
Sola enim est lex naturalis, quæ civilibus præceptis vim,
roburq; omne, ac quasi spiritum præbet; quod nisi face-
ret præcepta Juris Civilis omnia jacerent tanquàm de-
mortua, & quasi nullo subnixâ fundamento penitus con-
ciderent. Albertus Bologn. *dict. cap. VII. f. 25.*

VII. Possumus tandem hoc probare ab inducti-
one partium quas faciunt communiter in Lege Humana.
Tres noviter posuit Paul. Laymannus in suâ Theol. Mor.
Lib. I. Tract. IV. cap. 1. n. 3. I. est iudicium s. conclusio practica
rerum à Communitate agendarum in Principe vel Magi-
stratu residens, II. est Principis vel Magistratus voluntas
Com-

Communitati aliquid præcipiendi vel prohibendi. III. & præcipua est, actus externus intellectualis prudentiæ, qui dicitur Imperium. Quæ omnia maximè secundum naturam fieri, & secundum habitus qui humanam mentem formant, nemo puto pernegabit, modò si sanâ ratione utitur. Quapropter concludo, quod reverâ rectè conditarum Legum origo DEus est. Non tantùm enim incipit Lex esse auctore Cicerone in II. de Legibus, cum scripta est, sed tùm cum orta est; orta est autem simul cum mente divinâ; quomobrem Lex vera atq; Princeps apta ad jubendum & ad vetandum ratio est recta summi Jovis. add. Franc. Piccolomineum Grad. V. Phil. Moral. c. 38. & plenius in Grad. X. cap. 26. f. 940. & in Comite quoq; *Politic. part. 5. f. 1007.*

CAPUT II.

Quod in LL. Romanis Ratio præponderat.

I. Sic ergò negari non potest secundum Aristotelem *Lib. V. Ethic. cap. 1.* Legum conditores id agere, vel quod saltim profiteantur, ut quas condunt Leges honestati ac rationi Naturali quàm maximè convenient. Et verò fuisse hæc principia secutos Romanos & in Legislatores, à posteriori, quod vocant, facilè colligitur & in vulgus prestat, postquàm omnes Gentes æquitate in his etiamnum investigant & inventam valde admirantur quod latis. deduxit *Arthur. Duck. lib. 1. d. auctor. Jur. Civ. c. 11.* & deinceps per totum tract. Per pop. Rom. scripsit Augustinus in *lib. xviii. de Civit. Dei.* Placuit Deo terrarum orbem debellare, ut in unam societatem Reipubl. Legumq; perductum longè lateq; pacaret. Et in *Tract. VI. ad c. 1.* Johan. dicit, quod
Jura

Jura humana per Impp. & Reges seculi distribuit DEUS. *Dist. VIII.* Quas LL. adeò venerandas facit piorum Principium Joannes. VIII. in Epist. ad Ludovicum Regem. Zonaras reliquit, DEUM elegisse Romanos, ut per eos Justitia sua orbi Terrarum luceret & splenderet, ad Canon. & Constit. Apostol. *Lib. I. c. XXVII.*

II. Non vacat amplius super alienas auctoritates, cum domesticæ abundant. Tum ejus, quod divinæ sint originis, quas Numa abs Ægeria inter congressus nocturnos habuisse fertur *Tit. Liv. lib. I. p. 25 L. Flor. lib. I. c. 2. & Zevcotius. ib. in Not. Valer. Max. lib. I. cap. II.* In quibus etiam Numen in est, quod colerent Juris Sacerdotes in *L. I. §. 1. d. J. & J. Henric. Zoëli. Comment, ad D. hic n. II.* Tum porrò ejus, quod in Ratione consistant textualis plena est auctoritas per exempla L. cum ratio naturalis quasi lex quædam tacita. *7. d. bon. damnat. L. 7. §. 1. unde liberi L. 14. d. condit. in deb. l. 206. d. R. 7. L. Maximum vitium. 4. C. d. lib. præter. L. 1. d. puct. L. 1. d. Constit. pecun. & infinitis aliis locis.* Nec potuit aliter evenire Justiniano Imp. postquam hoc fundamentum fecit juris sui in *§. ult. inst. d. J. & J.* & quod omne Jus collectum esset ex naturalibus præceptis, aut gentium & Civilibus. Quæ non nisi Rationem indicant sive in Naturâ Naturante, sive inter homines; tam in simplici ejus usu, quam quæ per collectionem s. compositionem concludit super necessitatibus humanis: quam maximè inter cives Rationem Status dicimus. Dn. Tabor Jurispr. Elem. *part. I. tb. 8.* ad quam mensuranda sunt omnia quæ privatim & quæ publicè sunt utilia. *L. 1. §. 2. d. J. & J.* puta semper sub Imperio Honestatis: Si quæ enim lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores sunt, nec facer nos posse credendum est. *L. 15. de condit. Instit.* Et in hoc planè infert Ulpianus in *L. VI. d. J.*

B

& J.

§ 7. quod in totum à Naturali vel gentium Jure recedit
 planè Jus non esse. Quod confirmat Isidorus c.2. *Dist. IV.*
 Erit (inquit) Lex honesta, justa, possibilis, *secundum Natu-*
ram, secundum patriæ consuetudinem, loco temporiq;
 conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoq;
 ne ali-
 quid per obscuritatem in captionem contineat,
 nullo privato commodo, sed pro communi civium utili-
 tate conscripta. Et Quintilianus *l. II. cap. 4.* scripsit; Vi-
 tium Legis aut in verbis aut in rebus est. In rebus maxi-
 mè commune est quærere, an sit honesta, an utilis. Ju-
 stum, pium, religiosum cœteraq; his similia honesto com-
 plectimur. Justi tamè species non simpliciter excuti solet.
 Utilitas quoq; interim naturâ discernitur, interim tempo-
 re, quædã an obtineri possint ambigi solet. *add. Domin.*
Soto de Just. & Jur. l. 1. q. 6. art. 4. fol. 13. Suarez d. Legib. l. 3.
Reinbard. Bachov. x. R. de Jure n. 9. f. 26. Hug. Grot. lib. II. d. 3. B.
& P. c. 2.

III. Quod si lubet hîc quoq; per partes ire, licet
 oppidò, sive ex Lege sive ex consuetudine Jus proficisci-
 tur, *l. 1. C. ne fidejussor. vel mandat. dot. dentur* cum Lectu-
 ra Petri Fabri *Lib. 1. semestr. c. 24. f. 137.* Nam Jus quidè ut ex
 Legibus oritur, ita ex longâ consuetudine proficiscitur. *L. 32*
seqq. D. d. LL. Et Jã Legis nomen ipsum à deligendo est au-
 ctore Tullio *l. 1. d. Leg. ut delectus vim in Lege ponamus,*
 quâ Legislator honesta & utilia ab in honestis sepparat ac-
 curatè doc. Aristot. in X. ad Nicomachũ, quando dicit, Le-
 gem esferationè à prudentia & mente ptofectam. Curam
 Romanorum tam in ferenda, promulgandâ aut svadendâ
 distvadendaq; Lege, quàm rogandâ, jubenda aut vetandâ,
 omnè recensere angustia paginar. non patitur, & sciuntur
 hæc talia ex Antiquariis. V. Ant. Augustin. *d. LL. c. VII. &*
seq. ad XIII. Nic. Gruch. d. Comit. R. add. Dd. ad L. VIII. C. d. LL.
 Vicissim si ad Consuetudinem respicias, de eâ quoq; Con-
 stantinus

stantinus rescripsit ad Proculum: Consuetudinis ususq;
longævi, non vilis auctoritas est, verum non usq; ad eod
sui valitura momento, ut aut *rationem* vincat aut Legem.
L. 2. quæ sit long. consuet. vidend. Wesenbec. *ad π. d. LL. n. 8.*
Joh. Schneidevvin. *ad §. 9. Inst. d. Inst. & Jur. n. 4.* Joann.
Saison *ad consuet. Turonens. Tit. xv. art. 2. f. 94.* ubi repetit di-
ctum Glossæ in *c. iv. Dist. iv.* quod consuetudo non excusat à
poenâ gehennali. *Add. Menoch. II. de arbitr. Judic. Cent. 1.*
cas. 82. Speidel. in Speculo V. *Gewohnheit.* & quos
allegat.

IV. Quapropter hanc quoq; partem ritè (nì fallor)
perorabit Celsus: Quod non ratione introductū, sed errore
primū deinde consuetudine obtentum est in aliis simili-
bus non obtinet. *L. 39. d. LL. ad Cypr. Regner. ab Osterga in*
Censur. Belgicâ ad eam. f. 14.

CAPUT. III. Contraria sollicitat.

I. **V** Visis sic principiis non pauca occurrunt his aduersa
sive in genere, & quasi nihil nisi ex arbitrio justū sit,
(quod evicit tamen aduersus Carneadē Lactant. *Epit. Div.*
Instit. cap. 1. add H. Grot. in proleg. ad libros d. J. B. & P.) sive
in specie Romanarum saltim Legum quibus jam liben-
tius se opposuerunt Ant. Matthæi in suis Animadvers. ad
Inst. & hoc quoq; audacior Cypr. Regnerus. qui suas con-
tradictiones in summam contraxit ad *§. 9. Inst. d. J. N. G. &*
C. f. 32. plures alii quoq; ; Sed cum quibus congressus est fa-
cilis post ea quæ Jac. Mæstertius sing. libro doctè compre-
hensus est d. *Justitiâ LL. Romanarum.* & sparsit flores Dn.
Tabor in partit. Elem. passim. Hic equidem campus ita
latè non est patens.

II. Quin illud saltim notamus opponi in universum
Sanctionibus Humanis, quod de tot variis & planè mon-
struosis LL, invenitur inter Gentes, ut incestus m. apud A-
rabes, Persas, Medos & Parthos laudaretur; ex Lege Lycur-
gi furta, & seditiones ex L. Solanis tolerarentur. Apud Aga-
thyrsos communio uxorum, apud Masagetas vero a-
ulteria libera erant: quæ alibi omnino nulla sunt. Sed re-
spondemus ex ore Platonis in Minoe, ut dicamus, vel si in
singulis factorum speciebus justum illud & æquabile sem-
per insit, quod naturâ semper firmum, constans & in con-
cusum est, ita tamen fieri interdum, ut Legislatores non
illud assequantur: Ejusq; rei causam esse vel ingenii levi-
tatem (quâ ratione etiam Medici qui parum ingenio aut
doctrinâ valent à veris medendi regulis sæpenumerò ab-
errant) vel etiam varias animi affectiones, quæ rectam
judicandi rationem quàm maximè impediunt. Verum id
ingenii culpâ frequentius evenire credibile est, subdit A.
Bolognett. c. IX. Quandoquidem non omnes homines ea
ingenii acie & sagacitate sunt, ut omnibus in rebus verita-
tis scopum attingere queant. Quo fit ut eadem de re variæ
sæpè numero sententiæ sint, non secus atq; ea quæ nostris
sensibus subjiciuntur, quamvis eadè per se sint, varia tamè
ab aliis atq; aliis judicantur. Cum in hominibus alii sint qui
clarius cernunt, qui sagaciùs adorantur: alii verò in qui-
bus & horum & aliorum sensuum judicium facilè decipi-
tur: quod in iis præsertim evenit qui alicujus rei planè im-
periti sunt. Quare ut in cantu, & picturis multa offen-
dunt doctos, quæ fugiunt imperitos: sic qui plus Doctrinâ
(addo & revelatione) possunt, rectius omnia judicant:
qui verò eâ destituuntur, in maximos sæpè errores
incidunt. Hæc ille, quem possis hîc si placet continuare
fol. 30.

III.

III. Qui vero ex Jure Romanor. regulam tradunt, quod communis error jus faciat, hi niti volunt L. 3. D. d. offic. Prator. quam ad hoc semper allegari notat Additio. nator. *Glosse ordin. hic.* Cum tamen lex ipsa tale aliquid dicere neq; voluit neq; debuit. Svidas narrat accidisse sub Triumviris, ut Barbuius sive Barbarius Philippius servus fugitivus insinuaret se in eor. & in primis Antoni amicitiam, & hoc adnitente Prator crearetur. Sed cum agnitus esset à Domino multa pecuniâ se ab eò liberasse. Putabat Pomponius eum fuisse Pratorem. Ulpianus contra non fuisse Pratorem, Praturâ tamen functum & propter utilitatem publicam nihil eor. quæ gesse reprobari debere. Nullum sanè hinc errorum robur, neq; pro libertate Barbarii, quam pecunia redemerat à dominò, nec valida (i. juridica) sunt quæ gesse, sed sustinentur saltem propter tolerantiam necessitatis eorum qui fidem publicam secuti coram ipso Jure experti fuissent. Wissembach. Vol. I. ad π . Disp. 5. th. 7. Obiter addo, Bachovium ad h. l. abuti sensu Fabriano, qui diversa fecerat, Pratorem esse & pratura defungi. Rectè, ad exemplum §. ult. Inst. d. ingen. & L. 10. §. 1. d. acquir. poss.

IV. Urgetur quandoq; & illud, quod in L. 14. 15. & 16. d. LL. singulariter constitutum legitur contra rationem Juris, aut tenorem rationis. Ut sic minimum aliqua pars Juris nostri ratione deficiat. Sed ad illa repetenda est distinctio 1. inter Jus, 2. inter rationem Juris. Illud enim quod semper æquum & bonum dicitur nunquam à Ratione destituitur sive naturali, quod est Jus naturale l. ult. d. 7. & 7. sive naturali civili simul, postquam in civitatem jus commune receptum est ex. diserto in §. 4. Inst. d. Interdict. L. 35. D. d. LL. Aliquando vero Jus Civile significat illud, quod

B 3

neq;

neq; in totum à naturali vel gentium recedit, nec per omnia ei servit: cū non rarò propter circumstantias humanæ imbecillitatis & quod cum imperfectis vivimus aliquid vel detrahendum sit vel addendum juri communi de quibus plenè in *L. V. d. J. § 7.* Consentit Leo Papa in *C. II, Dist. XIV.* Sicut quædam sunt (scribit ad Rusticum Narbon. Episc.) quæ nulla pos. ratione convelli; ita multa sunt, quæ aut pro necessitate temporum, aut consideratione ætatum, oporteat temperari: Et tunc dicitur habere rationem Civilem seu Juris applicati ad habitudines civium; quæ tantundè illi etiam rationi naturali inicitur, quæ dicit, quod patriæ & majoribus sit parendum *l. 2. d. J. § 7. Sententi. D.* Paulus eloquitur, superiori quidem potestati vel propter Conscientiam esse parendum, Rom. XIII. Sed quæ non eadem est Principi ponenti: quare contra rationem juris in Jure singulari potest alicui ob meritum quid indulgere, aut sine exemplo subvenire; vel si quam pœnam irrogat, quæ non sunt trahenda ad exemplum *dic. §. 6. d. J. N. G. § C.* quod ita licet Principi Patri *LL. in Nov. XII. c. ult. pr.* & imò quod decet frequenter Propter bonum ut aptet Leges secundū naturæ varietatem. *Nov. 73. pr. §. 1. ne unquæ earum usus imperfectus & inutilis consistat. Nov. 99. pr. § Nov. 22. conf. Dd. in §. 11. Inst. d. Jur. N. G. § C.*

V. Tandem & illò abutuntur, quod scripsit Julianus in *L. 55. Dig.* relatus ab auctoribus nostris in *L. 20. d. LL.* Non omnium quæ à Majoribus constituta sunt rationem reddi posse. Et idè subjungit Neratius in *L. XXII.* rationes eorum quæ constituuntur requiri non oportet, alioquin multa ex his quæ certa sunt subvertantur. In quo abuti eos dixi vet. auctoritate sanctissimà; dum ad Principem transferunt Legislatorem, cujus voluntas sufficit pro ratio-

ne Glos. ad l. 4. D. d. pæn. lit. L. & fac. ix. in l. 3. C. d. crim. sacril. quod illi de Inter pretibus juris tradiderunt, quippe quos non raro latet ratio in his quæ ex merâ Juris Civilis ratione lancita leguntur, quo consilio gesta aut constituta fuerint. add. Pet. Costal. Parte Adversar. ad h. l. Novis. Simon à Levvè in supplem. Godofred. hic n. 42. Quinimo aliquando quantumvis in jure destituta est & correctâ ratio Legis tamen Lex adhuc servanda est. quia ita scripta est L. 12. §. 1. D. qui & ex quibus c. man. quod doctè explicat And. Alciatus lib. V. Parad. c. VIII. Tom. 4. Oper. f. 124. Interim ea omnia causam habere constanter credendum est: sine quâ nihil nec eorum quæ ratione fiunt, nec eorum quæ præter rationem agi videntur perfici potest dic. Polybio lib. II. histor. Et hanc esse Juliani mentem confirmat Tx. Non enim dicit non omnium rationem esse; sed non omnium reddi posse. Joh. Coras, in Tit. Dd. LL. hic f. 243, add. VINN. in 2. Select. Lib. 1. cap. 2.

VI. Exaudi porrò Neratium non ita adstricta regulâ, quàm hodie apud Romanistas aut Turcas prohibentur disputationes de fide: Sed de nimiâ saltim & scrupulosâ subtilitate circa Leges, quâ nihil proficimus quàm in ludibrium Legis, ex quo periculosa est ne subvertat Legem arg. l. 202. d. R. J. Quam unam Cretensium legem Plato maximè laudat, quâ juvenes inter se aut coram juvenibus senes de Legibus disputare vetabantur, ne si quid dubii emergeret (quod ad Principes civitatis referendum erat) Leges ludibrio haberentur. conf. Zasium tom. 1. Repetit. h. Post quæ omnino licuit semperq; licebit quærere de Legum nostrar. causis quæ proficiunt non tantùm ad docendam discendamq; penitus Legem) in quod subtili animo diversitatis rationes excutere jussit Imp. Sacrat. in L. 2. §. contrarium. C. d. vet. jur. enucl.) Sed imò quàm multum
etiam

etiam ad producendam Legem ad casus non expressos,
quæ est vera & non simulata Philosophia juris nostri per
L. 1. §. 1. d. 7. & 7. l. 12. 26. & 27. D. de LL. Plin. lib. 1. Ep. X. Lanfranc.
de Oriano de interpret. statutor. Cujac. & communiter
Dd. ad L. 2. §. 5. d. O. 7.

CAPUT IV.

I. **H**ic tractatus tandem requirit ut per exempla attingamus, si quarum LL. Corporis Nostri ratio reddi non possit. Et in his longè nunc sterilior ætas nostra est quàm veterum quidem Interpretum, qui nondum habebant ita defœcatam Jurisprudentiam Rom. quam nos habemus ex Herculeis tot & immensis laboribus præstantissimorum. Jctorum tam superioris quàm præsentis seculi, qui jam Literaturam profundam simul ac plenam rerum. Philosophicarum cognitionẽ adferentes ad Jus Nostrum, novam planè felicitatem illi super induxerunt, quam aliter conservare non licebit posteris, nisi inter perpetuas tam laudes quàm æmulationes ipsorum.

II. Exinde facile vitamus insidias in quas frequentes dabant veteres, quod rationes rerum sive Grammaticas sive Historicas sæpè nescirent. Quomodo novum non est legere ap. ipsos L. Fustiam Caniniam à Canis invidia dictam. Actionem Servianam, à Servando aut Interd. Salvianum à salvando; & faciebant pridem nescio quas Antiphonas, & sexcentas alias Glosas Cernotinas * in rebus, Antiquas

** Sic vocantur à Cernoto filio Accursii. Nam Accursius habebat duos filios, scil. Franciscum & Cernotum & Cernotum minus diligebat, qui voluit facere Glosas sed nullam bonam fecit, teste Capolla quem descripsit Jacob. Rigos à Mallojco ad l. 124. d. V. S. n. 10.*

In

deinceps latis. exposuerunt. Andr. Alciatus Fr. Hotto-
mannus Jac. Cujacius Barn. Brissonius Car. Sigonius
Ant. Augustini, Gv. Budæus, Hugo Grotius & mille alii. Et
extulit etiam rationes physicas ex libris nostris P. Zachias
in doctis, opere *Quæstionum Medico-Legalium*. Quæ &
ipsæ torquebant veteres. Et incidit adhucdum illud quod
proponitur ap. Julianum in L. 5. §. 3. D. ad L. Aquil. Sutor
(inquit) puero discenti ingenuo, filio familiæ, parùm be-
nè facienti quod demonstraverat, formâ calcei cervicem
percussit, ut oculus puero perfunderetur. Sed Cameri-
nam non moveo.

III. Superest de Principiis morum & præceptis
prudentiæ. In quibus tantum abesse videtur, ut deficient
Moralistæ, qui vocantur, ut abundant in has ad summam
usq; malitiam, quam sic omnem ad rationes legis cogni-
tas exacuunt novissimi quicq; licet magis in perniciem
quàm exemplum bonarum LL. de quò aperuit abundè Lu-
dovicus Montaltius profundus auctor *Literarum Provin-*
cialium super artibus Jesuitarum. Quibus multâ cum con-
scientia imputat *Probabilitatis* novam doctrinam in Phi-
losophiâ morum, seu magis scire methodum dirigendæ
intentionis, secundum quam cædes, percussiones, ac cæ-
teras defendendi honoris vias licitas effecerunt,
scribit Montaltius Ep. VII. Nihil enim aliud o-
pus est, quàm ut animus abstrahatur à cupiditate
vindictæ, & ad tuendi honoris voluntatem conferatur.
Alterum enim nefandum, alterum vitio caret. Sic DEO
simul & hominibus satisfaciunt. Actus ipsos expetunt
homines, intentionem DEUS. Ergò hominibus actus
DEO intentionem concedunt &c. Plura enim legas illic
hanc in rem mira. Et subdit in Notis Wilhelmus Wend-
rock.

C

rock.

rock: Bona intentio illius qui propter alapam sibi infligam hominem interimis est voluntas dandi signa excellentiæ & existimationis ap, homines captandæ. Bona intentio Viri nobilis, qui contumeliosum sibi pomum eripere molientem interfecit, est voluntas retinendi pomi, & servandi honoris, quem in pomo servando constituit. Bona intentio viri militaris qui ad duellum provocanti se sistit, est voluntas cavendi ne existimetur ab exercitu gallina & non vir. & quæ sequuntur.

IV. Sed in viam redeo; & dum fatendum est cum Juliano non omnium rationem reddi posse in LL. ea vellem vetrò facere duplicia in Regulis & Textibus. Illæ supra se etiam multi sunt præjudicii in aliis juribus, ut est quod ex paganis nemo pro parte testatus ac pro parte intestatus decedere possit L. 7. d. R. J. §. 5. d. hered. instit. Quod paganus duo testamenta relinquere non possit, quæ ambo firma ac valida sint, l. quærebatur. de mil. Test. §. 7. Inst. quib. mod. test. infirm. quod tutorem habenti tutor dari non potest. §. 5. d. Curator, & si quæ sunt causæ similes, in quib. adeò parca est & in commoda Naturalis ratio, est tamen consequens auctoritati veterum juxta. L. 51. §. 1. ad L. Aquil. & JC-torum responsa valere ait Seneca Epist. XIV. etiam si ratio non reddatur. Sed eò minori periculo & ferè insensibili eorum qui jura addiscunt, quod aliàs unicuique disciplina sua sunt Principia domestica & propria, quæ non licet profundius scrutari nisi intra nugas & temporum jacturam vacuum. Et commodum si velis sapere, cur mobilia triennio præscribantur: & donatio non excedat D. solidos, cur Legitima sit tertiabonorum! & quæ alia incerta sunt in jure communi, certa autem in jure Civili facta pro formanda magis norma agendorum

dorum. Hoc enim inter homines Lex affert, ut in iudicando quid sequamur habeamus: quoniam id quod sequimur altero non sit æquabilius; sed in rebus & negotiis aliquid certi definiendum est. Glosf. in hanc L. 20. Petr. Costal. p. 1. advert. ibid. H. Donell. & ibi Hilliger. *Lib. 1. c. 13. lit. H.*

V. Textus, qui sibi saltim deficiunt, ponunt in L. 12. qui & à quibus manum & L. 9. d. relig. & sumpt. fun. L. 63. d. Ædilit. Edict. in quibus Gajus & Ulpian. durum & Civili quoque ratione mirum inveniunt ipsimet. Cujac. *lib. xviii. obs. 12.* Bachov. in *π. d. LL. n. 7.* Et erit per me liberum addendi & annotandi plures, dum modo cum gloria. Alioquin in LL. civilium interpretatione non temerè ad hoc præsidium confugiendum est, inquit Bolognettus *c. 1x.* Imò enim in eò præsertim nobis est alaborandum, ut quæcunq; sive Imp. Constitutio sive J. Cti sententia, sive alia quæ liber Legis decisio proponatur, ejus semper rationem aliquam naturali justo consuetaneam assignemus, cum minimè dubitandum sit, quia ii qui LL. instituendar. munus suscipiunt studiosè semper naturale justum inquirant, aut saltim id se facere ante omnia profiteantur.

TANTUM!



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text in the middle of the page.

TAVITUM









ULB Halle 3
005 127 009



1077







B.I.G.

Farbkarte #13

376

Q. D. B. V.

1673

2

3

DE HIS QVORUM
RATIO REDDI NON
POTEST

EX INDULGENTIA MAGNIFICI
FCTORUM ORDINIS
IN HAC ALMA LEUCORÆA
SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi Amplissimi & Consultissimi
DN. FRANCISCI HENR. HÖLTICHS,
J.U. Doctoris & in Consistorio Ecclesiastico
Advocati Ordinarii,

Patroni & Promotoris sui Observandissimi,
Publicè periculum Legale f.
HERMANNUS DISMANN,
Molnâ Saxo.

Ad d. XII, April. M. DC. LXXIII.

In Auditorio Fctorum.

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS MEYERI.

52.

